

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Dispvtatio IIX. De poenitentia

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

DISPUTATIO IIX.

DE POENITENTIA.

THEISIS I.

Magna est cognatio Justificationis & Poenitentiae sive Conversionis. Quod enim à parte nostri est, unde homo justificatus esse dicitur, ejusdem respectu conversus quoque esse dicetur. Diversæ tamen sunt considerationes. Nam justificatio consideratur prout ordinem habet ad Deum justificantem; & tractatur ibi non tantum quod Deus acceptat à parte nostri, nempe Fides: sed totum id quod nobis pro justitiâ est in conspectu Dei, omnesque justificationis nostræ caussæ. Conversio potissimum consideratur quò ad actus qui à converso proficiuntur, & in conversione requiruntur, non tantum eam ingredientes & constituentes, sed etiam concomitantes aut consequentes, prout ordinem aliquem habent ad Ministerium Euangelij, & Absolutionem denunciandam converso.

II. Pœnitentia vocabulum propriè significat angi & dolere de commissione, & nolle committum fuisse. Agellius lib. XVI, cap. 1. *Pœnitere tum dicere solamus, cum quæ ipse fecimus, aut quæ nostræ voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque nostram in iis demutamus.* Hoc verò non sit sine quodam morsu & pœnâ animi; unde Isidorus: *Pœnitentia quasi punientia, eo quod ipse homo in se puniat pœnitendo, quod male admisit.*

VOCABU-
LUM POE-
NITE N-
TIE.

1. 6. Orig.
c. 19.

III. Vulgata versio hoc vocabulo utitur pro con-
versione.

Z 3

versione hominis peccatoris ad Deum, quæ tamen plus includit, quām illud displicere & dolere. Hebræa itaque vox שׁוֹבֵת à radice שׁוּב aptior & plenior est ad exprimendam totam conversionem, aëtusque & effectus ejus. Etiam Græca vox Μετάνοια melior est, quām Latina; significat cogitationem quæ suscipitur post factum, illud considerans, erratum animadvertis & improbans, item emendationem & mutationem mentis. Ad finis vox est μεταμέλεια, cuius tamen rarer usus in sacris. Senior filius, qui recusarat ire ad opus patre jubente, dicitur ὑπερηφανεία μεταμελητεῖς ab iisse in vineam laboratum, Matth. xxii, 29. Judas μεταμελητεῖς ἀπέστρεψε τὸ τελάκων ταὶ ἀρνεῖα, Matth. xxvii, 3.

IV. Manifestum itaque Latinam vocem Pœnitentiae à primâ & propriâ significatione usu translatam esse ad significandum totum aëtum conversionis. Atque ita acceptæ æquivalent ei in Scripturis, querere Dominum Deum in toto corde & in totâ animâ, Deut. iv, 29. Hos. iii, 5. reverti à viâ suâ malâ, 1 Reg. xiii, 33. Jer. xxxv, 15. & bonas facere vias & conatus suos, Ier. xiix, 11. humiliari & exquirere faciem Dei, 11 Paralip. vii, 14. averti ab iniquitate suâ, prævaricationibus & peccatis suis, Iezech. xliix, v. 21. xxvii, 30.

V. Quoniam autem & ille, qui Deum antè non novit, ad Deum verumque Dei cultum convertidicitur: & ille qui membrum Ecclesiæ est, in peccata ex insidijs Diaboli aut carnis infirmitate prolapsus resipiscit & pœnitet; utraque Conversio Pœnitentiae nomen sortita est.

VI. Sed ut aliquid certi de Pœnitentiâ & Absolutione statuere possimus, exempla ejus rei petemus è S. Scripturâ, quæ sola & certissima norma est quorumcumque

cumque ad religionis negotia pertinentium. David adulter graviter à Nathane Prophetā objurgatur. *Dixit autem* ^{2 Sam. 12, 13.} *David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Et Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris. Quandoquidem verò re ista omnino hostibus Domini occasio nem dedisti blasphemandi, morietur etiam certissimè filius qui natus est tibi.* Idem cum populum numerasset, doluit corde ^{2 Sam. 14, 10} suo, aitque *Davida d Domum: Insigniter peccavi in hoc quod feci. Nunc ergò transfer queso o Domine iniquitatem servi tui, quoniam vehementer stulte egi.*

VII. Sub initium N. Testamenti Ioannes Baptista prædicabat in deserto, & dicebat: μετανοεῖτε. Resipiscite, mentem mutate, sive meditamini emendationem vitæ: adpropinquavit enim regnum cælorum. Matth. 111, 1. Marcus 1, 4; & Lucas 111, 3 ita: *Baptizabat Joannes in deserto prædicens baptis̄mū pœnitentie in remissionem peccatorum, id est, suo baptismo adhortans ad resipiscientiam, ut remissio nē peccatorum consequerentur.* Et adjicit: *Facite fructus dignos pœnitentie. Petrus Act. 11, 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti.* Porrò exempla veræ pœnitentie videre licet in peccatrice, Luc. vii. in publicano, Luc. xlii. Zachæo, Luc. xix. In Petro, Matth. xxii. Latrone, Luc. xxiiii. Iudeis, Act. ii. Item Corinthio incestus reo. Pœnitentie vanat & inutilis exemplum præbet Iudas.

IX. Ut autem perturbatæ mentes evidentia consolatione erigerentur, & homo etiam sensibus misericordem Dei erga se voluntatem perciperet, Christus discipulis suis potestatem fecit remittendi peccata. Apud Matthæ-

POTESTAS
REMITTENDI
PECCATA.

DE POTESTATE

184
 Matthæum c. XVI, v. 19 Petro, qui communī Apostolorum nomine confessionem de Messia ediderat, dicit: *Tibi dabo claves regnicælorum; Quidquid ligaveris in terrâ, erit ligatum in cælis: & quidquid solveris in terra, erit solutum in cælis.* Etc. xix, v. 18 quod omnibus sub unius personâ promiserat, ijsdem simul summis confert in hunc modum: *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis in terrâ, erunt ligata in cælo; & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta in cælo.* Hanc ipsam potestatem ijsdem post resurrectionem suam commendat & confirmat. Ioan. xx, 21. *Dixit eis, Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et cum hæc dixisset, inflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis; quorūcumque retinueritis, retenta sunt.* Atque hic à Christo Sacramentum Pœnitentiæ præcipue institutum esse docent Tridentini sess. IV, cap. I.

IX. Qualis autem propriè hæc sit potestas, colligere licet ex Luca, qui verbis Christi rem explicat in hunc modum: *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertią die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Hæc itaque potestas remittendi est potestas prædicandi, & adnunciandi remissionem. Nam, ut recte docet Cyrillus, certè solius veri Dei est, ut possit à peccatis homines solvere. Atque hoc facit priusquam accedat Absolutio sacerdotis, quandocumque peccator vivâ fide Christum apprehendit, ut sana habet sententia; ut Pontificij docent, quando debito modo contritus est. Bonaventura ait: *Necessitas confitendi post contritionem non est in talibus propter necessitatem remedy, cum peccatum jam dimissum sit, sed propter obligationem præcepti.* Et nisi adsit fides (sive ut isti volunt,

Comp. Th.
ver. rub. 26.

I. in Joan.
c. 56.

volunt, contritio) non sequetur remissio peccatorum, ut ut
absolutionem suam adhibeat sacerdos. Remissio itaque
non est effectus istius absolutionis: Nam nihil est causa
effectus alicujus, quo non existente nihilominus sequitur
effectus, propter praesentiā alterius caussā, quæ si praesens
non fuerit, non sequatur effectus quocūq; alio existente.

X. Quamobrem recte Hieronymus, quando lo-
cum quem ex Matthæo adduximus, interpretatur. *Hunc, c 16, v. 19,*
inquit, *locum quidam non intelligentes aliquid sumunt de su-
perculo Pharisæorum, ut damnare innoxios, vel solvere se pu-
tent noxios, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed
reorum vita queratur.* In Levitico se ostendere sacerdotibus
jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed
discernunt, qui mundi vel immundi sunt. Ita & hic aperte
ostenditur, quod non semper sequitur Deus ecclesiæ judicium,
quæ per subreptionem & ignorantiam interdum judicat, Deus
autem semper secundum veritatem. Et in remittendis vel re-
tinendis culpis, id juris & officij habent ecclesiastici sacerdotes,
quod olim habebant sub lege legales, in curandis leprosis. Hi
ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa à Deo vel
retenta indicant & ostendunt. Atque hanc Hieronymi sen-
tentiam sequutus est præcipuus Pontificiorum doctor
Petrus Lombardus, iv sent. distin&t. xix, E; & huncite-
rum communiter sequitos fuisse doctores antiquos
testatur Gabriel iv, dist. xiv, quæst. ii, art. i, not. ii,
sed Scotum in contrariam abiisse. Ipse certè loco jam
citato Hieronymi & Magistri sententiam amplectitur,
nec non iv, dist. xix, quæst. i, art. ii. Item Alensis
iv, part. quæst. cl., memb. i & ii. Bonaventura iv, dist.
xix, p. i, art. ii, quæst. i. & ii. Thomas Argent. iv, dist.
xix, quæst. un. art. ii. Joannes Major iv, dist. xiv,

Aa

quæst.

quæst. ii; & dist. xix. quæst. i. Altisiodorensis iv. summæ tract. de Pœnitent. Abulensis i p. defens. cap. v & vi. Marsilius iv. quæst. x. art. i. ubi docet *absolutionem exteriorem tantum signum esse remissionis culpoꝝ*. Unde manifestum est Tridentinos non antiquioribus solim Patribus, sed suis quoque Magistris anathema dicere sess. iv. can. iii.

XI. Nos itaque potestatem remittendi & retinendi non dicimus esse aliam nisi ministerium adnunciandi remissionem aut retentionem; sicut cùm sententiam judicis minister ex tabulâ recitat & promulgat, non ipse judicium exercuisse, verùm benè judicij publicationem administrasse dicetur. Idem hoc loci facit Sacerdos; tabulæ verò è quibus sententiam omnipotentissimi Judicis recitat sunt sacrae literæ, quæ eam ante jaſta fundamenta mundi decisam & determinatam continent ita, ut absolutio & vita pœnitentes & credentes in Filium, impenitentes autem & incredulos mors & damnatio maneant. Unde rectè Ambrosius, *Remittuntur*, inquit, peccata per Dei verbum, cuius Levites interpres & quidam exsequitor est: remittuntur per officium sacramque ministerium. Item: Per Spiritum sanctum peccata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Atque hanc sententiam decretis inseruit Gratianus, dist. i, de Pœnit. c. *Verbum Dei*.

XII. Vult autem Deus ita Ecclesiæ ministros pœnitentibus & veniam potentibus remissionem adnunciare, ut promissionibus divinis mentes erigantur & fides confirmetur: Impenitentibus contrà & contumacibus peccata retinere, h. e. negare Deum talibus esse propitiūm

*z. de Cain &
Ab. c. 4.*

*g. de Sp. S.
c. 12.*

tum, negare esse heredes vitæ æternæ, & apertè denunciare iram & judicium Dei, quodque sint in potestate Satanæ, destinati pœnis hujus & alterius vite, nisi convertantur; denique separare à societate visibilis Ecclesiæ, ne hæc male audiat apud eos qui foris sunt, & sana ejus membra contagio inficiantur, aut peccatis eorumque pœnis communicent, ¹ Joan. v. 11, sed timorem habent, ² Tim. v. 20; peccator autem ipse cùm sensu iræ divinæ perterritus tum externâ contumeliam motus ad pœnitentiam redeat & lucrificat. Unde Paulus: *Si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam hunc indicate, & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur.* Et Ioannes: *Non recipite in domum, nec Ave illi dicite.* Exemplum videre licet in Corinthio, incestus reo, quem Paulus ^{2 Thes. 3, 14.} ^{2 Ep. v. 10.} ^{1 Cor. 5, 5.} ^{v. II.} ^{2 Cor. 2, 6.} ^{TIT. 3, 10.} Satanæ tradit ad interitum carnis, quò spiritus salvus fit in die Domini Jesu. Deinde Corinthijs præcipit non commisceri, si quis, qui frater adpelletur, fuerit scismaticus, aut avarus, aut simulacrorum cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; & cum ejusmodi ne quidem cibum capere. Eundem vero resipiscentem recipit iterum, & ait: *Sufficit ejusmodi homini objurgatio hæc scélè à pluribus: adeò ut è diverso magis condonetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Idem Paulus Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, ut discant non blasphemare, ¹ Tim. 1, 10.

XIII. Ex hisce, quæ hactenus adduximus è Scripturâ testimonij & exemplis, facile erit statuere de Pœnitentiâ & de Absolutione.

XIV. Pœnitentia igitur est hominis peccatoris ^{P O E N I -}
ad Deum conversio, quâ peccata ex doctrinâ legis agno- ^{T E N T I A}
scit, fatetur, detestatur, deque irâ & offensâ Dei angitur: ^{D E P I M I -}
erigi. ^{T I O.}

erigitur autem vicissim voce Euangelij, Christumque & promissiones fide adprehendit.

PARTES

POENI-

TENTIAE.

Marc. 1, 5.

Act. 26, 20.

XV. Duas, ut patet, Pœnitentiaæ partes essentiales constituimus, adpellamusque Contritionem & Fidem. Exprimuntur manifestò à Servatore, cùm dicit: μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ē τῷ ἐναγγελίῳ. Et Paulus ait testificatum se Judæis & Gentilibus τῶις εἰς τὸν Θεόν μετάνοιας, καὶ πίστιν εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. Atque utriusque figura est in Samaritano, qui in vulnera infundit vinum & oleum: nam & Lex & Euangelium suam hīc operationem & efficaciam exserit. In ipso etiam paradiſo primos parentes Deus voce latæ legis perterrefactos & convictos editā de semine mulieris promissione consolatur, erigit, & in gratiam recipit. Et idem evidenter colligitur ex omnibus exemplis pœnitentiaæ quæ habentur in scri- pturis.

CONTRI-

TIO.

XVI. Contritio verus & serius dolor est de commissis peccatis.

XVII. Vocabulo hoc non utuntur Apostoli, sed pro eo Pœnitentiâ strictè sumitâ, prout à Fide, sicuti ostendimus, distinguitur. Paulus II. Cor. VII, 10 vocat λύπην καὶ Θεόν, sicut antè adpellasse diximus μετάνοιας εἰς τὸν Θεόν: & addit *eam operari pœnitentiam in salutem stabilem*, scilicet primum esse pœnitentis actum, à quod incipiat pœnitentia. Deducta est itaque vox contritionis e V. Testamento, ubi frequens ejus in hoc sensu usus. Psal. L, 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciens.* Psal. CXLVII, 3. *Deus sanat contritos corde.* Ief. LVII, 15 dicit Deus se habitare cum humiliatis & contritis corde. Et LXI, 1. *Mederer contritis corde.* LXVI, 2. *Respiciam ad adfissum & contritum spiritu.*

XIX. Præ-

XIX. Praesupponit Contritio agnitionem peccati, & agnitionem iræ Dei adversus peccata, punientis ea temporalibus & æternis pœnis. Utraque autem excitatur à Lege, per quam agnitus peccati, Rom. ~~xi~~, 20; & quæ hoc sensu iram operari dicitur Rom. iv, 15. Unde numquid non verba mea sunt, quasi ignis, dicit Dominus, Jere. 23, 29.
 & quasi malleus conterens petras? Includit odium atque detestationem peccati, & propositum evirandi in posterum; neque non ingenuam coram Deo cùm culpæ tum reatus confessionem, ne quidquam vel extenuet vel excuset. Psal. xxxii, 3. *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea.* Quò pertinent etiam lacrymæ per seriam peccati agnitionem excussæ. Psal. vi, 7. *Laboravi in gemitu meo, natare feci in omni nocte lectum meum: in lacrymis meis stratum meum madefeci.*

XIX. Fides est fiducia, quâ in meritis Christi FIDES adquiescimus. Excitatur voce Euangeli, ut promissio-nes de remissione per Christum adprehendamus, quum in nobis non inveniamus, per quæ iram Dei sistamus, aut satisfaciamus. Inde dixit Paulus, Legem paedagogum Gal. 3, 24. nostrum esse ad Christum, quando videlicet veram contritionem lex operata est, atque sub maledicto esse qui Gal. 3, v. 10 & II. sub operibus legis sunt, & neminem in lege apud Deum justificari, adeoque nihil omnino in se spei esse ipso facto ostendit, à se ad Christum fide adprehendendum ab-
legat.

XX. Fidem autem requiri Christus ipse docet, quando ad Paralyticum, *Confide*, inquit, *fili*, & addit in Math. 9, 2. quid debeat confidere, scilicet remittuntur tibi peccata tua. Lue. 7, 50.
 Et peccatrici: *Fides tuate salvam fecit.*

XXI. Et quidem Fidem maximè actum & formam

Aa 3

Pœni-

190 DE NOVA OBEDIENTIA.

Pœnitentiae sive conversionis esse inde liquet, quod is
 demum conversus recte dicatur qui fidem habet, & quod
 nisi fides adsit, neque agitio neque contrito salutares
Marc. 16, 16.
Joh. 6, 40.
 sint. Nam quicunque non crediderit, condemnabitur. Ethæc
 voluntas patris est ut omnis qui credit in filium non pereat, sed
 habeat vitam æternam.

NOVA OBEDIENTIA.

XXII. Quoniam autem ut antè ostendimus, con-
 tritionem consequitur detestatio & propositum evitan-
 di peccata in posterum; (nemo enim voluntatem habe-
 bit rursus committendi, de quo nunc angatur & doleat)
Gal. 5, 6.
3 Ep. 3, 6.
4, 8.
 quum etiam fides ejus naturæ sit, ut Paulus eam per
 caritatem *crepysmodin* esse dicat, & Joannes: *Omnis qui in eo
 manet non peccat*, h.e. non habet propositum peccandi; *Omnis
 qui peccat non vidit eum*, nec cognovit eum. Et qui non diligit,
 non novit Deum; de quo puncto superiore disputatione plu-
 ribus egimus: manifestum est ex his, Novam obedi-
 entiam, sive propositum bene vivendi, sive bona opera à
 verâ pœnitentiâ abesse non posse, quamquam actum e-
 jus non ingrediantur, sed consequantur. Atque hoc
Matt. 7, 17.
joan. 8, 11.
Act. 26, 20.
 est, quod Ioannes jubet nos facere fructus dignos pœ-
 nitentiae. Quippe *omnis arbor bona facit fructus bonos*. Chri-
 stus quum adulteram absolvisset adjicit: *Vade & post hac
 ne peccaveris*. Paulus ad Agrippam: *Adiuniciabam ut pœ-
 nitentiam agerent, & converterentur ad Dominum, opera fa-
 cientes digna ijs, qui respuissent*. Item: *Age pœnitentiam &
 fac opera priora*. Hujusmodi igitur fructus ad veram pœ-
 nitentiam necessarij erunt non simpliciter, sed ex conse-
 quentiâ sive hypothesi, quatenus videlicet vera pœni-
 tentia veram fidem exigit, & vera fides bonorum operum
Apoc. 2, 5.
 proxima & immediata caussa est, ita ut illa per hæc &
 hæc

DE ABSOLUTIONE.

191

hæc per illam demonstrari possint, sicut ex Epistola Iacobi manifestum est.

XXIII. Quod autem Absolutionem adtinet, sive Absolu-
potestatem illam remittendi peccata, liquet ministros eā
TIO.
fungi ex mandato divino, nihilque sibi licere, nisi quod
mandato illo continetur.

XXIV. Sicut itaque Deus impenitentibus &
incredulis remissionem peccatorum non impertit: ita nec
eam talibus adiunciare debent ministri.

XXV. Quum autem cordium scrutatores non
sint, necesse est, ut qui peccatorum remissionem petunt,
quique in ulteriore sui confirmationem voce ministri
eam sibi denunciari volunt, pœnitentiae aliqua signa co-
rām & confessionem edant, quodque meritis Christi
confidant, & quantum in se fit, emendationis proposi-
tum habeant; & quòd credant, denunciationem à mini-
stro factam niti mandato & promissionibus divinis.

XXVI. Audite absolutioni utpote promissio-
nem & mandatum habenti pia mens fidenter acquiescit,
atque ita consolationem concipit & pacem erga Deum. Rom. 5, 1.
Et quoniam à Deo tantis affecta est beneficijs, cavit,
ne quoquo modo eum offendat, aut ad iram rursus ir-
ritet. In gratiam quoque & quasi *ārtidweor* tantarum re-
missionum proximo promtè indulget; sicuti fieri se velle
ostendit Servator parabolā de servo debitore. Item re-
sponsō discipulis dato: *Si septies in die peccaverit in te,* Matth. 18.
& septies conversus fuerit ad te dicens: Pœnit me; remit-
te ei. Luc. 17, 3.

XXVII. Postquam sanam sententiam ex sanctæ
scripturæ fundamentis juxta analogiam fidei exstruximus
& adstruximus; consequens est ut ad adversarios Peni-
ficos

192. DE PONTIFIC. ERRORIBUS
ficios convertamur, & quid illi de Pœnitentiâ & Absolu-
tione statuant, examinemus.

XXIX. Et quidem Pœnitentiam Sacramentum
esse volunt; non autem nisi eam, quam post resurrectionem
Domini insufflatione in discipulos institutam per-
hibent, exclusâ quæ fuit in Vetus Testamento, & quam
prædicavit Ioannes, nec non eâ, quâ non renati ante
fusceptum baptismum convertuntur: accipiuntque pro
actibus illis, quos edunt pœnitentes, & absolutione mi-
nistri, atque ex hac & ipsis Sacramentum Novæ legis con-
fieri docent, cuius Sacramenti forma sit absolutio facta
à sacerdote posita in illis verbis: *Ego te absolvo* &c. ma-
teria autem, actus editi à pœnitente, Contritio cordis,
ut vocant, confessio oris & satisfactio operis.

XXIX. Nos hujusmodi pœnitentiæ significatio-
nem in scripturis non invenimus, nec aliam nisi quâ ad
hominem peccatorem refertur, ut vel totam conversio-
nem denotet, sicut in plerisque dictis; vel tantum unam
ejus partem, Contritionem, sicut Marci 1, 15. Lucæ
xxiv, 47. Matth. xxi, 32. Act. xx, 21.

XXX. Absolutionem igitur cum ipsâ pœnitentia
non confundimus. Neque verò hîc an illa Sacra-
mentum sit, operosè disputabimus. Nam cum Sacramenti
adpellatio ἀγεράσκεια sit, si de rebus conveniret, nullas
se de vocabulis λογομαχίας excitaturam profitetur Apo-
logia Augustinæ confessionis.

XXXI. Quanquam autem in Absolutione pro-
missio singulis adplicetur, quum tamen desit externum
elementum, à Christo in hunc usum destinatum, mani-
festò apparet non posse Sacramentum dici, quale Bapti-
smus est & Sacra Cœna.

XXXII.

XXXII. Quando verò inter nos & Pontificios
controvertitur de partibus Pœnitentiaꝝ, quas integrales
Bellarminus adpellat, & tres numerat, Contritionem,
Confessionem & Satisfactionem; hoc potissimum quæritur,
an hærequirantur ad Absolutionem, & sine his Ab-
solutio fieri non debeat.

PONTIF.
PARTES
POENI-
TENTIAꝝ.

XXXIII. Nam quando Pœnitentia propriè &
pro conversione accipitur, ex articulo Iustificationis
manifestum est, quid requiratur. Quomodo autem
Conversio & Iustificatio convenientiaꝝ ostendimus.

XXXIV. Et verba sunt ipsius Bellarmini lib.
II de Pœnit. c. XIII. *Scriptura passim docet, eos qui toto
corde ad Dominum convertuntur, sine morâ veniam peccato-
rum accipere.* Habemus itaque adversarium confiten-
tem, sine confessione oris & satisfactione operis haberi
posse veniam peccatorum. *Quod quomodo cum utri-
usque necessitate, quam postillâ statuit, conciliare pos-
sit, ipse videat.* Vel hinc tamen manifestum sit, vera
esse, quæ nos suprà contra ipsum disputavimus.

th. 8.

XXXV. Prætermitto hactenus, quam pulcrè ipsi
inter se convenientiaꝝ scriptores in constitutione
partium pœnitentiaꝝ. Scotus, Occam & qui eos sequun-
tur, docent substantiam sacramenti pœnitentiaꝝ consistere
in sola absolutione sacerdotis. Sic quoque Gabriel:
Accipiendo partem propriè, neque contritio, neque confessio, ne-
4, dist. 16, q.
1, a. 2, concl.
que satisfactio est pars pœnitentiaꝝ acceptæ pro sacramento. 3.
*Quia sic pœnitentia realiter non est nisi sacerdotalis absolutio
consentitis.* Durandi hujusmodi est sententia: *Centritio*
4, dist. 16,
*& satisfactio non sunt materia neque forma sacramenti pœni-
tentiaꝝ. Forma enim consistit in verbis absolutionis: materia, si
quis sit, in verbis confessionis.* Petrus de Palude docet *contri-*
quæst. 1.
4, d. 16, q. 4,
art. I.
tionem

Bb

tionem

*tionem esse materiam remotam, confessionem propinquam; sa-
tisfactionem autem in absolutione injunctam esse partem forma-
lem ipsius forme.*

XXXVI. *Hoc saltem nunc quero, quomodo
actiones unius hominis, partim immanentes partim
transeuntes materia esse possint actionis alterius ab alio
homine praestitae? Et quomodo satisfactione operis, quæ
deniū sequitur Absolutionem & susceptionem Sacra-
menti, nonnumquam planè intermittitur, materia esse
possit ipsius Sacramenti? Nam totum integrale requirit
quamlibet sui partem actualiter. Et quomodo Contritio
cordis, quæ per se est insensibilis, posit esse materia
sensibilis? Et quomodo, quum impossibile sit sine fide
placere Deo, Deo tamen placeat Poenitentia Pontifica,
in quâ ne minima quidem fidei mentio?*

XXXVII. *Iudas certè quæ requirunt Pontificij,
Matth. 27. euncta praestitit. Contritus est, Confessus est, & quidem
sacerdotibus: denum satisfecit opere, argentum abjecit
in templum & abiens strangulavit seipsum. Pontifi-
ciam igitur poenitentiam totam habuit; & tamen veram
non habuit. Pontifica itaque vera non est. Quòd au-
tem neque lude neque à Pontificijs descripta poeniten-
tia vera sit, in causâ potissimum est defectus Fidei.
Nam quicunque non crediderit, condemnabitur.*

CONTRI-
TIO.

XXXIX. *De Contritione tradunt Pontificij,
aliam imperfectam esse, quam Attritionem vocant, or-
tam ex consideratione turpidinis peccati atque iræ
Dei, & metu pœnarum; aliam perfectam ortam ex dile-
ctione Dei, quâ dolet homo, quod summum bonum &
Deum tam beneficium offenderit. Attrito dicitur actus
disponentiae cum privatione informitatis, & ideo quando infan-
matur*

CIRCA POENIT. ET ABSOLUT. 195

matur à caritate, perdit rationem attritionis. Fr. Mayron,
iv, dist. xv, quæst. iii, art. ii.

XXXIX. Verum sacræ litteræ Contritionem veram non hinc solum, sed etiam inde ori docent. Psal.
xxxix, 4. *Non est pax ossibus meis, nec sanitas in carne mea,*
à facie iræ tua. Psal. vi, 1. *Domine, ne in furore tuo arguis*
me, neque in irâ tua corripias me. Quare parum tutum est
negare à sensu iræ & pœnarum oriri.

XL. Potius si Contritionis discriminem faciendum,
inde id petendum erit, quod aliam fides excipiat & sub-
sequatur, aliam non item; atque hanc mortiferam esse,
ut in Juda, pœnitentiam pœnitendam, & tristitiam seculi,
ii Corinth. vii, 10. illam salutarem, ut in Petro.

XLI. Atque salutarem singulare Dei donum esse,
quum non simus sufficietes ex nobis ipsis cogitare ali-
quid boni, quasi ex nobis ipsis, ii Cor. vii, 5, testantur
etiam dicta. Act. v, 31. *Ut det pœnitentiam Israëli & remis-
sionem peccatorum.* Act. xi, 18. *Nempe etiam gentibus Deus*
pœnitentiam dedit ad vitam. ii Tim. ii, 25. *Si forte eis*
Deus dederit pœnitentiam ad agnitionem veritatis. Jezech.
xxxvi, 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum meum po-
nam in medio vestri.* Et auferam cor lapideum de carne ve-
strâ, & dabo vobis cor carneum. Ex quibus intelligitur &
resellitur error, qui Contritionem dolorem esse definit
voluntariè adsumtum, eamque adscribit libero arbitrio
& viribus humanis.

XLII. Deinde blasphemia est in Christum, & injuria in perfectissimum ejusmeritum, quod docent Con-
tritionem esse caussam remissionis peccatorum. Nam
si ex operibus hereditas, evacuata est fides, &

abolita promissio. *Gratiâ salvati eflis per fidem, & hoc non ex vobis.* Eph. 11, 8. *Justificamur gratis per ipsius gratiam.* Rom. 111, 24.

XLIII. Necessaria quidem est in Pœnitentiâ Contritio, quia Deus ita ordinavit, ut Lex sit pædagogus noster ad Christum, & ut morbum agnoscamus; nequam ut ipsa remissionem efficiat vel mereatur. Quam egregiè enim efficiat & mereatur, vivum exemplum est in Caino & Judâ.

XLIV. Quâ verò metamorphosi quod antè erat materia nunc fit causa efficiens? Et quis umquam somniavit causam curationis esse, si æger agnoscat morbum, fateatur aut doleat? Certè tota ea sita est in medico perito & fido.

CONFES-
SIO.

XLV. Quantum ad Confessionem, obiter notandum est, hanc vocem in sacris accipi aliàs pro simplici & liquidâ adfirmatione, Joan. 1, 20. Matth. viii, 23. Tit. 1, 16; aliàs pro professione doctrinæ; aliàs pro laude & celebratione divinâ, ut in Psalmis: *Confitemini Domino.* Aliàs autem, quod magis huc facit, pro agnitione & confessione criminum, quæ fit vel coram Deo corde; aut corde simul & ore; vel coram hominibus, sive privatum, sive publicè: Estque vel totius Ecclesiæ, vel unius ejus membra, & alia quidem generica & universalis, alia specifica graviorum quorundam delictorum. In sacrificijs V. Testamenti usitata fuit quædam publica confessio tum unius aut paucorum, tum totius Ecclesiæ, quâ & in genere se damnabant, & aliqua scelera speciatim enarrabant, ut videre est in descriptione sacrificiorum. Exemplum quoque est Nehem. ix.

XLVI. Quod autem adtinet Confessionem,
quam

quam alteram Pœnitentia partem Pontificij constituunt, suprà nos monuimus, Confessionem exigi debere à Ministro, ne impœnitentibus & indigatis remissionem annunciet; quo respectu illa à parte Ministri necessaria erit. Utilis quoque est à parte aliorum, qui aut exemplum conversionis, ut & ipsi convertantur, inspiciant; aut de converso gaudeant & Deo gratias agant. Requiritur quoque à parte ipsius peccatoris, ut is se humiliet & talem fateatur, qui misericordiā & veniā indigear.

XLVII. Hoc autem fieri potest externis signis, potissimum quidem vivâ voce, idque vel secreto vel manifestò. De hujusmodi confessione habetur locus in Actis xix, 18. *Multi credentium veniebant confitentes & adnunciantes actus suos.* Matth. 111, 6. *Baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua.* Et in Epistola Jacobi v, 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra: quod nonnulli de mutuâ offendarum confessione & deprecatione exponunt.*

XLIIX. An verò confessio coram pluribus, vel secreto in unius aurem fieri debeat, nullum exstat in scripturis mandatum.

CONFES-
SIO AUE-
RICULA-
RIS.

XLIX. Quod autem Ecclesia ritus ad ordinem & ædificationem facientes observat, inter quos etiam ille est, ut qui sceleribus notorijs Ecclesiam publicè offendit, publicè quoque confiteatur & deprecetur, & signa aliqua pœnitentia externa edat; quales quoque constitutiones in antiquâ Ecclesia subinde mutatae sunt: accurate hæc, inquam, discernendæ sunt ab ijs, quæ expressè in scripturâ continentur, ne utrisque parem aut auctoritatem aut necessitatem adsignemus.

L. Chemnicius adnotat hujusmodi graviorum

^{2 part. Ex-}
^{am Conc.}
crimi- Trid.

Bb 3

198 DE PONTIFIC. ERRORIBUS

criminum confessionem, alias fuisse publicam, eamque vel ex lege, si crimen innotuisset, vel si occultum esset, voluntariam; alias privatim primum, sed post quoque, si sacerdoti videretur, publicè praestitam; alias confessionem quidem privatim factam, sed poenitentiam sive multam publicè persolutam; alias utrumque privatim peractum, & nihil in publicum emanasse.

CONFES-
SIO PRI-
VATA.

L.I. Habet autem & suas utilitates privata & specifica graviorum criminum confessio, nec à nobis improbatut, si fiat instructionis, consilij aut consolationis, nec non discretionis ergo.

L.II. Atque talis est Confessio, quæ fit hominibus. At ea, quæ Deo fit potissimum, actus est contritionis, & effectum legis; quæ si cum fiduciâ in Christum fiat, perfectam conversionem constituit à parte peccatoris, quam à parte Dei excipit Remissio sive Justificatio. Hoc do-
x Ep. 1, 9.
cet Joannes, quum ait: *Si confiteamur peccata nostra, fide-
lis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet
nos ab omni iniquitate.* David: *Dixi, confitebor adversum me
iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati
mei.* Ita confitebatur Publicanus: *Deus propitius esto
mihi peccatori. Et descendit justificatus in domum suam.* Ita
Luc. 15, 21.
Acolaustus: *Pater peccavi in cælum & coram te: neque post
hac sum dignus, qui vocer filius tuus.* Dixit autem pater ser-
vis suis: *proferte scolam primam, & induite illum.* Ita in Ora-
Luc. 17, 10.
tione Dominicâ jubet nos Christus quotidie Deo pecca-
ta confiteri & veniam precari. Item: *Si omnia feceritis,
dicite, servi inutiles sumus.*

ENARRA-
TIO SIN-
GULORUM
PECCATO-
RVM.

L.III. Pontificij requirunt particularem enarra-
tionem & enumerationem singulorum peccatorum, in
specie sacerdoti faciendam.

L.IV. Ve-

LIV. Verum hæc inutilis est. Qui enim se peccatum confiteretur, neque negat nullum præceptum divinum esse, cui planè & plenè satisfecerit: is non opus haber singula enarrare, quum in hac confessione omnia peccata, quæ singulariter enarrari possunt, includantur. Deinde impossibilis est. Nam *dilecta quis intelligit?* Quasi Psal 19.32. verò brevi temporis spacio enumerari possint omnia, una cum omnibus suis circumstantijs peccata per integrum annum commissa? Dicunt enim Tridentini, statuisse Lateranense Concilium, ut præceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur: scilicet, ut subjungunt, sacro illo & maxime acceptabili tempore *Quadragesimæ.*

LV. Quare rectè nostri Pontificiam confessionem carnificinam conscientiarum adpellant, per quam non tantum Monachi secreta etiam summorum Monachorum extorquent, verum mentes in desperationis periculum precipitant.

LVI. Nam peccatum, quod non confiteris, non remittitur. Peccatum quod remissum non est inducit damnationem. Quare sicut certus esse non potes, te omnia tua peccata confessam, ita nec certus esse potes, te liberum à damnatione. Immò sicut certus esse potes, te omnia tua peccata in specie non enarrasse: ita certus eris de eorum retentione & tui damnatione. Quod si dicant, ut dicunt Tridentini: *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrant, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro qualius fideliter cum Prophetâ dicimus: Ab occulis meis munda me Domine; quur non & nos dicamus reliquorum eamdem esse rationem, & in generali confessione includi?*

LVII. Po.

LVII. Postremò enumeratio singulorum peccatorum sacerdoti facienda non habet præceptum divinum, nec aliquam promissionem, nec exemplum in sacris literis. Ergo non est de jure divino, & per consequens neque necessaria, neque pars poenitentiaæ.

LIX. Ipsi quidem Pontificij olim hanc negarunt. Gratianus quidem de *Poenit.* dist. I ejus necessitatem in dubio relinquit. Glossa de *poen.* dist. v, c. i, Melius, inquit, dicitur *eam institutam à quadam generali sive universalis Ecclesiæ traditione, potius quam ex Novi vel Veteris Testamenti auctoritate.* Idem sentit Panormitanus in *c. omnis, de poenit.* & rem. ubi explicat determinationem Concilij Lateranensis de necessitate confessionis. Quoniam verò hæc male defenditur, nisi sit de jure divino, laborant Scholastici, ut id alicunde eruant. Sed quid agant, ubi nec fidiculis aliquid extorquere possunt? Quare Scripturam non succurrere fatetur Gabriel ingenuè: *Finaliter dicendum, quod præceptum de confessione sacramentali promulgatum est à Christo Apostolis. Et per ipsos Apostolos promulgatum est Ecclesiæ verbo & facto sine omni scripturâ.* Bonaventura sic loquitur: *Dominus non instituit in se: sed fuit à Domino insinuata; ab Apostolis instituta; ab Episcopo Hierosolymitano Jacobo promulgata.* Tridentini nihilominus anathema dicunt, *si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino.*

LIX. Id autem can. v collegere in hunc modum, lib. 3, de Poenit. e. 2. quem retinet etiam Bellarminus, qui inquit: *Judicium sine cognitione causæ ne quidem fingi potest. Quare si ex Evangelio probavero, Apostolos & eorum successores judices esse à Domino in Ecclesiâ constitutos in causis poenitentium, simul etiam probavero,*

probavero, jure divino confessionem peccatorum in specie coram sacerdote esse faciendam. Tria sunt loca præcipua, ex quibus judiciaria ista potestas demonstrari potest. Sunt autem illa, quæ nos suprà recitavimus.

th. 2.

LX. Verùm quis est, qui vanitatem consequentia non intelligat? Et quis sit sensus, suprà ostendimus ex Lucá. Alienum beneficium exsequuntur Ministri: non pro tribunalí sedent aut judicum officia peragunt. Refragatur pleno ore Paulus: *Sic de nobis reputet homo, at de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.* 1 Cor. 4, 11. Quod supereft requiritur in dispensatoribus ut quisque fidus reperiatur. Quur si judex est, ministrum non verò judicem se dicit? præsertim quum ibi explicet, quo loco habendum sit ab auditoribus suis. Et subjungit: *Nolite ante tempus judicare usque dum veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Hoc tempus nolunt exspectare Pontificij, verùm sibi Dei partes sumunt, ipsique nihil relinquunt.

th. 9

LXI. Omnim̄ clarissimè, quæ suæ sint in hoc negocio partes, ostendit, & præterea Christi verba explicat 1 Cor. v, 19. *Deus nos sibi reconciliavit per Christum: & dedit nobis ἡγεμονία τῆς καταλαύνης ministerium* (non judicium) *reconciliationis.* Nempe quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; posuitque in nobis verbum reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur &c. Hic Deus dicitur remittere peccata; Apostolos habere non nisi ministerium & verbum reconciliationis; nulla mentio judicariæ potestatis.

LXII. Quòd si adeò judicium h̄c debeat esse, ubi auctor, ubi reus, ubi testes? Etenim sine his judicium

Cc

fingi

DE SATISFACTIONE.

202
 finge nequit. An idem actor, reus & testis? Quod si dicant aliud esse judicium hoc & differre à politicis; esto: atque ideo agnoscant *κατάχρησιν* vocabuli, & desinant odiosi esse comparando ad illa, & exigendo unum requisitum, quum plurimum convenientiam dare non possint. Certè si judices sunt, quur peccata remittunt? An non metuant illud Prophetæ: *Væ dicentibus malum bonum, & bonum malum?* Vel si peccata remittunt, quur judicis sibi officium arrogant, cuius non est remittere, sed juxta meritum pletere? *Medicina itaque locus hic est non judicij, non pœnas sed remissionem peccatorum tribuens.* Chrysostom. ix de pœnitentiâ.

Jes. 5,20.

LXIII. Però Christus ita vult ut procedant hac in re ministri, prout ipse fecerat. Dicit enim: *Sicut misisti me Pater, ita & ego mitto vos.* At ille sine præmissâ particulari enumeratione absolvit paralyticum Matth. ix. peccatricem Luc. vii. Zachæum Luc. xix.

SATISFACTIONE OPERIS
lib. 4, c. I.

compend.
Theol. ver.
1,6, rub. 27.
4, d. 14, q. 3,
a. i.
4, dist. 16,
q. 2, a. i.

LXIV. Satisfactionem nihil aliud esse dicit Bellarminus, nisi actionem, quâis qui alterum læst, tantum facit, quantum satis est ad injuriam compensandam; sive, quantum is qui læsus est justè exigit. Scholastici ante Bellarminum definierunt redditionem voluntariam æquivalentis, alias indebiti. Bonaventura dicit: *Satisfactio debet respondere culpæ in numero, pondere, & mensurâ.* Nam secundum Mayronem, *Si minus valeret, non esset satisfactio, sed minusfactio.* Et Gabriel, *Adverbium SATIS, inquit, importat æquam correspondentiam ejus quod redditur ad id, pro quo redditur, sive in beneficijs, sive in pœnis.* Ex quo sequitur, quod minus reddens pro peccato, quam justitia divina exigit, licet injunctum à confessore impleat, non satisfacit, soluturus in futuro, quod minus injunctum est & solutum in praesenti.

Verum.

Verum Bellarminus aliquantum sanior factus duplē satisfactionem constituit. Nam aliquando sit, inquit, ad absoluṭam & perfectam aequalitatem; aliquando ad imperfēctam. Totam autem controversiam esse dicit, utrum saltim imperfecta illa satisfactio, quæ acceptatione & donatione Dei nititur, locum habeat in Sacramento Pœnitentiae. Fatetur enim, quod nisi aliqua acceptio aut donatio intercedat, nemo posset illi pro peccatis in eum admisis satisfacere.

LXV. Jam autem primò in genere notum est, de nullius acceptatione aut donatione constare posse, nisi constet de expressâ acceptatoris voluntate testatum facientis, quod sic velit, jubeat.

LXVI. Deinde longè notissimum est, de Dei Opt. Max. voluntate non constare, nisi quantum ipse in S. Scripturâ patefecerit.

LXVII. Jam vero contendimus, ne Pontificij acceptationem aut donationem divinam constituant, nullâ significatione voluntatis divinæ fultam, qualem nec jura humana in negotijs civilibus admittunt.

LXIX. Nam quotiam in sacris literis nullam expressam legimus vel minimam significationem divinæ voluntatis talis, quod opera nostra acceptare velit ita, ut justitiae suæ satisfaciant: merito nos quoque hujusmodi acceptationem tamquam Pontificium commentum rejecimus.

LXIX. Amplectimur autem aliam, testimonij evidenteribus rixam. Ipse enim Filius hanc esse dicit voluntatem Patris sui, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item: Credidit Abraham, & imputatum est ei ad justitiam. Fides igitur est,

DE SATISFACTIONE.

204 quæ acceptatione & donatione Dei nititur, non satisfactio operum.

LXX. Pergit Bellarminus & docet satisfactione compensandam esse inæqualitatem, quæ non solum justitiæ sed etiam amicicie contraria est. Et quidem pro amicitia reformanda non posse hominem Deo satisfacere; nam satisfactio acceptatione Dei necessariò indiget; acceptatio autem amicitiam præsupponit. Justitiæ tamen æqualitatem restaurari posse; adeoque operibus laboriosis, tum spontè adsumendis, tum per sacerdotes injungendis justitiæ satisficeri, & peccati pœnam redimi.

LXXI. Verùm unde probabit Bellarminus, Deum gratis nobis amicitiam suam restituere, velle tamen, ut ipsi nos per opera nostra justitiæ satisfaciamus?

LXXII. Certè si peccatores omnino gratis in amicitiam reciperenrur, satin' salva foret justitia? Nec enim vir bonus sceleratum amicitia suâ dignatur nullo justitiæ respectu habito. Et si gratis fieret, quorsum Mediator ille Dei & hominum vitam suam posuisset pro omnibus suis? Quamquam itaque reconciliatio cum Deo gratis fit à parte nostri, non tamen gratis fit à parte Dei, qui merita Filij sui nostrorum vice acceptat, nobisque imputat.

LXXIII. Reconciliatio autem sive receptatio in amicitiam cum compensatione quæ justitiæ fieri debet, ita cohæret, ut illa sine istâ non fiat: imò contrà quām Bellarminus vult, receptio in amicitiam præsupponit compensationem justitiæ debitam, alioquin enim hæc violaretur. Idem igitur quod amicitiam restaurat, justitiæ quoque satisfaciet; & quidem priùs justitiæ satisfiet, quām nos reconciliari poterimus.

LXXIV. Et qualis sit reconciliatio aut amicitia,
ubique.

ubi reconciliatus & amicus ad pœnam adhuc obligetur?
 Exemplum proponit Bellarminus, in negotio aliquo
 civili; ut & ante ipsum Bonaventura: *Sicut in bellis, in-*
quit, restituenda amicitiæ non statim remittitur debitum damni
illati: ita post remissionem culpæ in contritione remanet debi-
tum pœnæ satisfactoriæ. Non dicam nunc quo jure istæ
 hæc trahantur. Hoc saltim dico, reconciliationem
 sive amicitiam illam initam habere respectum ad recom-
 pensationem faciendam, & illâ niti, adeò ut si recom-
 pensatio non fiat, aut fieri non possit, frustra quoque fa-
 cta sit reconciliatio.

Compend.
l. 6, rub. 27.

LXXV. Idemnè Bellarminus dicet de no-
 stri cum Deo reconciliatione? Certè vel fatente ipso
 nemo potest Deo pro peccatis in eum admissis satisfa-
 cere. Numquam igitur vera inter Deum & nos recon-
 ciliatio erit.

LXXVI. Quod autem dicit, nos noti pro culpâ
 sed pro pœnâ satisfacere, ne ipsi quidem in hoc cum re-
 liquis suæ se stœ omnibus conveniet. Nec scio, an cum
 ipso concilio Tridentino, expressè docente quod dum sa-
 tisfaciendo patimur pro peccatis Christo Jesu, qui pro peccatis
 nostris satisfecit, conformes efficiamur. Item: *Siquis dixerit,* seff. 4, c. 8.
satisfactions, quibus penitentes per Christum Jesum peccata
redimunt &c. can. 14. sed quidquid sit nihil est nisi mera *ἀν-*
εργονία.

LXXVII. Nam pro culpâ primò & propriè sa-
 tisfacere dicimur, non pro pœnâ. Pœna enim debetur
 culpæ, & est pro culpâ. Qui igitur satisfacit pro pœnâ,
 satisfacit pro culpâ. Unde manifestum est, nihil hanc
 distinctionem aliud esse, quam nebula, quam lucem ver-
 bi divini tenebris involvat & meritum Christi obscuret.

Cc 3

LXXIX.

LXXIX. Quam autem pœnam Justitia divina pro peccatis exigat, evidens est ex hoc Deuteronomij: *Maledictus omnis, qui non servaverit, quæcunque scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Si igitur pœnis satisfaciendum est, non tantum temporalibus, sed & æternis pœnis satisfaciendum erit. Si pro pœnis satisfaciendum, non pro temporalibus tantum, sed pro æternis etiam satisfaciendum erit. Hæ enim junctim debentur peccatis. Unde verò nobis probabit Bellarminus separationem, quarum, qualem & quantam ille suo sibi pro lubitu fingit? Audiamus ipsum: *Pœna illa, inquit, quæ luenda restat, post culpæ remissionem est illa ipsa pœna sensus, quam in gehennâ pati debuisset peccator remotâ solùm æternitate.* Tria enim complebitur pœna gehennæ: pœnam danni, pœnam sensus, & utriusque æternitatem. Ex his autem tribus malis, quæ sunt in gehennâ; à primo & tertio liberantur continuò, qui ad amicitiam Dei & ejus gratiam redeunt: Solùm autem remanet malum illud secundum, debitum videlicet pœnæ sensus ad tempus luendæ.

LXXXI. Credo Bellarminum quoque interdum sui oblivisci. Nam quod dicit continuò liberari à pœna damni, qui ad gratiam Dei redeunt, planè est contra ipsum. Destruit enim ipsius sententiam & purgatorium, in quo juxta delirium Pontificiorum luitur pœna non sensus tantum, sed damni etiam. Quod autem per pœnam sensus ad tempus luendam intelligat pœnas purgatoriij, liquet etiam ex sequentibus: *Postquam, inquit, demonstratum fuerit, posse pœnam illam temporadem futuræ vitæ, quæ propriè debetur peccato, per opera laboriosa hujus vitæ redimi &c.*

XXC. Sed ut antè dixi, abundè Bellarminum redarguit

redarguit, qui urget ipsum, ut hæc sua tam bella commen-
ta probet, non ratiuncula aliquâ è proprio cerebro de-
promitâ, aut analogiâ, judiciorum civilium, quamquam &
hæc ei hoc loci non subveniet; sed liquido & perspicuo
verbo divino. Hoc autem manifestè ipsi contradicit, dum
docet Agnum Dei tollere peccata mundi. Et Jesaias de poenâ
expresse: *Castigatio super eum, ut nos pacem haberemus.*
Item: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir me-*
c. 53, v. 5.
63, 3.
cum. Paulus: Chirographon, (hoc autem continetur uni-
Colof. 2, 14.
versum debitum) quod erat contra nos, tulit è medio, & ad-
fixit cruci.

XXCI. Et quoniam meritus est Christus, non
agendo tamtum, sed etiam patiendo, manifestum est fa-
tisfecisse ipsum non pro culpâ tamtum, sed pro poenis
etiam quibusunque. Acerbissimas enim ipsamque adeò
mortem pertulit.

XXCII. Sed quid laboremus? Veritas ipsa Bel-
larmino expressit hæc verba: *Merita Christi sunt res vivæ*
1.2. de in-
& sacrae, sed non solum justificant corda, verum etiam satis-
dulg. c. I.
satoria sunt pro reatu poenæ, tum sempiternæ, tum temporariae.
Jam vero, quæ sit ratio, quur poenitenti meritum Christi
adplicetur, quâ satisfactorium pro poenâ æternâ, non au-
tem quâ satisfactorium pro temporali? Nulla certè redi-
di potest, nec unâ litterulâ sacrae scripturæ hoc figmen-
tum adstrui: immo Fides meritum Christi totum & indi-
vulsum adprehendit, non distractum. Totum itaque cre-
denti imputatur sive adplicatur.

XXCIII. Deinde ubi nulla culpa, ibi nulla poena.
Sed in justificatione nostrâ tam longè à nobis removen-
tur nostræ culpæ, quam oriens ab occidente, Psal. ciii, 12.
Projiciuntur in profundum maris, Mich. vii, 19. E.
quoque

DE SATISFACTIONE.

208

2 Cor. 5,3.

quoque pœnæ eodem relegabuntur. Et quoniam in conspectu Deinon nudi sed meritis Christi superinduti, invenimus sancti & immaculati, quare pœnis nos afficiet, qui tales facit & inventit? Porro qui peccata punit, peccata imputat. Deus ejus, cui remissionem imperit, peccata non imputat, P̄sal. xxxii, 2. E. Deus, cui remissionem imperit, peccata non punit. Qui peccata punit, peccatorum recordatur. Deus peccatorum pœnitentis non recordatur, Jezech. xix, 22. Jerem. xxxi,

34. E. Deus peccata pœnitentis non punit. Deinde, Ubi sublata est ira & indignatio, ibi quoque pena quæ ab irato & indignante infligi solet, tollitur. At per Christum liberati sumus ab irâ divinâ.

XXCIV. Coloss. III, 13 dicit Paulus: *Condonate vobis mutuo, si quis adversus aliquem habuerit querelam, καθὼς καὶ ὁ Χείρος ἐχαίρεσθαι ὑμῖν, γέτω καὶ δυνατός.* Condonabimus itaque nobis mutuò juxta Bellarminum, ita ut culpæ quidem gratiam faciamus, pro injuriâ tamen satisfieri velimus, & animum vindictæ cupidum retineamus.

Luc. 6,36.

XXCV. *Estatote misericordes*, inquit Christus, *sicut & Pater vester misericors est.* At Pater noster ita misericors est, ut culpam quidem condonet, pœnas tamen exigat tūm hujus vitæ tūm alterius exquisitissimas, nihil mitiores pœnis inferni. Ergo nos quoque eodem modo misericordes erimus.

XXCVI. Abundè jam constare arbitror, figmentum esse hanc culpæ à pœnâ separationem, ut scilicet culpa quidem condonetur, pœna autem retineatur, quæ vel sustinenda sit, vel pro eâ satisfaciendum. Egregia verò condonatio! Quasi judex furi diceret: Culpam tibi

tibi ex commiseratione clementer remitto, sed tamen hodie suspenderis.

XXCVII. Demum Meritum Christi aut sufficiens est satisfactio pro culpâ & pro pœnâ, aut insufficiens. Illud concedit Bellarminus; hoc enim dicere non potest absque manifestâ blasphemiam. At si nos post sufficientem satisfactionem adhuc satisfaciamus, inanis & inutilis erit satisfactio aut prior, aut posterior. Quinimò in justus erit Deus. Semel enim sufficienter & abundantiter satisfactum. Si à nobis iterum satisficeri velit, bis in idem vindicabit, & similis erit tyranno.

XXCHIX. In capite quidem proximè subsequente probare conatur Bellarminus, quod s̄æpe remissa ^{l. 4. e. 2.} culpâ maneat debitum luendæ pœnæ; & probat de pœnis hujus vitæ, quas non ex condigno sed solùm ex con gruo à Deo certis peccatis infligi dicit.

XXCIX. Nempe excogitanda fuit aliqua techna, per quam pœnæ etiam hujus vitæ in theatrum produce rentur. Nam superiore capite ex Cajetano dixerat: *Pœna illa, que luenda restat post culpæ remissionem, est illa ipsa pœna sensus, quam in gehennâ pati debuisset peccator, remotâ solùm æternitate.* Quæreret aliquis non immerito, an igitur pœna hujus vitæ sit pœna gehennæ?

X C. Quæ autem secundo hoc capite adducit Bellarminus, omnia laborant fallaciâ secundum non caussam ut caussam. Adfliguntur enim pij, non ut afflictionibus istis justitiæ divinæ satisfiat, & pœnæ peccatorum luantur, nam hoc præslitum est passionibus & satisfactionibus Jesu Christi, verùm ob caussas longè alias.

XCI. Primò quidem ut ipsi de magnitudine divinæ iræ & suorum peccatorum commoneant, in poste

Dd rum

CUR PIS
ADFLI-
GANTUR.

DE PœNIS

210

rum cautiū mercari discant, ad ardentes preces & desiderium futuræ vitæ incitentur. Deinde ut alij etiam pij erudiantur, suamque conditionem agnoscant. Tertiōne qui foris sunt occasionem calumniandi arripiant, quasi impunè liceat peccare ijs, qui sunt in Ecclesiā. Expressè hoc Davidi indicatur: *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini &c.* Neque non tales cum animo suo reputent, εἰ τῷ ὑψῷ Χριστῷ παιῶν, καὶ τῷ Χριστῷ γενταῖ; Item: *Quis erit finis eorum, qui non obediunt Evangelio Dei?*

Lue. 23, 31.

2 Pet. 4, 17.

**PœNA
PECCA-
TORUM.**

Ex. 21, 24.

Lev. 24, 20.

Deut. 19, 21.

XCII. Observandum autem hīc est, Pœnam esse duplicem, & unam propriè & simpliciter esse ac dici pœnam; alteram impropriè & æquivocè, propter similitudinem quamdam, quam habet ad priorem.

XCIII. Prioris generis pœna imponitur in foro judiciario ab actu justitiæ secundum proportionem, ut inter culpam & pœnam æqua sit proportio. Ita præcipit Deus ut in judicijs civilibus oculus rependatur pro oculo, manus pro manu, pes pro pede, dens pro dente. Ita ipse Deus exigit pœnam à Filio suo, qui in se receperat peccata om̄nium nostrūm. Ita exigit ab impijs & incredulis, & exigit in vitâ futurâ.

XCIV. Posterioris generis pœna imponitur ab actu providentia ob caussas paullò ante commemoratas. Dixi autem pœnam esse & dici æquivocè, propter similitudinem ad veram pœnam. Convenit enim in materiali. Nam sicuti hæc adflictio est, & ægrè facit carnitatem & illa. Utraque etiam ad culpam respectum habet; sed hæc ad eam ut vindicandam: illa ut emendandam. Differt itaque ratione formalis, efficientis quoque & finis. Non enim infligitur secundum proportionem ab actu

actu justitiae, ideo ut sit poena, sive ut peccatum vindicetur aut pro eo justitiae satisficiatur.

XCV. Unde manifestum est, hujusmodi poenam impropriè poenam dici, neque judicariam, sed paternam esse, adeoque rectius Castigationem nominari. Nam Deus pater noster est, seque Patrem nostrum ipse non uno in loco adpellat. *Sicut igitur pater miseretur liberorum, ita Dominus miseretur timentium eum.* Et sicut pater castigat delicta liberorum, non ut delicta ad justitiae lancem adpensa vindicet, sed ut liberos ad virtutem adsuefaciat, cautioreisque & moratores reddat: eumdem ad modum statuendum erit de Patre Opt. Max. ejusque in filios suos affectu.

XCVI. Bellarminus ipse sic scribit: *Non semper tribulatio hujus vitae est purgatoria.* lib. 1. de Purgat. c. 1. Nam multi justi adfliguntur, non ut purgentur: (purgari hīc est Bellarmino poenas pro peccatis luere, sic enim ille accipit purgatorium) sed ut exerceantur & probentur, juxta illud Eccles. XXVII, *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.*

XCVII. Porro notandum est ad poenas impropriè dictas pertinere Morbos & Mortem toti humano generi communes. Consequuntur enim naturam ut tam, & ad bruta quoque spectant. Quamquam venire possint nomine poenae etiam propriè dictæ, si morbi sint praeter naturam, & mors præceps aut violenta.

XCVIII. Postquam probare conatus est Bellarm. cap. II suam illam poenæ & culpæ disjunctionem, pergit cap. III ostendere, quod bonis operibus pro reatu poenæ satisficeri possit, & ait hoc in scripturis tam evidens esse, ut mirum sit abullo negari potuisse. Mirum autem est

Dd 2

DE POENIS

212
est Bellarminum tam invalidas consequentias texere:
Deprecati sunt. E. justitiae pro poenis satisfecerunt. Et
quis non rideret ita arguentem: Filius enormiter pecca-
vit in parentem: deprecatus autem est, promisit emen-
dationem, & ejus etiam specimen quoddam dedit. E. ju-
stitiae pro delicto satisfecit?

XCIX. At contra. Quod imperfectum est, non
potest ullo modo satisfacere perfectissimae justitiae di-
vinæ. Sed opera nostra sunt imperfecta, & contami-
nata per adhærentiam peccati, & comitantem spiritus &
^{2 Tim. 2, 5} carnis luctam. Deinde unus est Mediator inter Deum
& homines, ad cuius officium hoc spectat, ut pro pec-
catis satisfaciatur. Qui igitur pro peccatis satisfacere co-
natur, sibi met ipsi Medicatoris partes arrogat & in unicum
illum injurius est.

C. Pergit autem Bellarminus, & docet, opera,
quibus reatus peccati præteriti expiatur, sponte suscipi
posse, cap. iv; rectè etiam à sacerdotibus injungi, cap. v.
Et quidem, quum hoc propriè Pœnitentiam spectet, adeo
ut pars ejus sit, necesse est fundamentum habeat in sacris
& jure divino. Dicit autem: *verba illa Domini* (sub ini-
tium recitavimus) *satis aperte hoc docent.* Eadem scilicet
firmitate & evidentiâ consequentiae, quâ superiore libro
confessionem demonstrabat, & actum judiciarium de-
ducebat.

CI. Sed lubens cognoscerem, quum verbis istis
judicium constituatur, & quidem adeò exactum, ut judi-
cem omnia delicta & omnes omnium circumstantias dis-
cretè intelligere oporteat; in quo tamen foro & coram
quibus judicibus culpa remittatur, remittatur etiam po-
tissimum poenæ, residuum vero convertatur in oratio-
nem,

nem, jejunium & eleemosynam? Judicium igitur ibi non exerceri vel ipsi concedant; & exactam adeo confessionem ad Pontificiam hujusmodi operum impositionem non requiri res ipsa testetur.

CII. Sed his relictis manifestum est ex verbis & antè nos ostendimus, institutam esse remissionem peccatorum, non persolutionem, ut requiratur satisfactio. Et remissionem non imperfectam, absit enim id, quod vergent in ignominiam Institutoris; sed perfectam. Remittetur itaque quidquid nomine peccati includitur, nimurum reatus & culps & pœnæ.

CIII. Juxta Pontificios remittere peccata, significat remittere & retinere; solvere significat solvere & ligare: qualis expositio communis sensu & expressis verbis repugnat. Sunt enim satis manifesta; *Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis; quorumcunque retineritis, retenta sunt.* Nimiram quibus remittuntur peccata, ijs plenè & perfèctè remittuntur.

CIV. Postremò si justitiæ divinæ temporalipœnâ, & hac vicissim operibus à sacerdote injunctis satisfieri potest, unde sunt afflictiones, quibus pijs præ ceteris plurimque subjiciuntur? Certè satisfactio, si vera sunt quæ tradunt Pontificij, pœnas & afflictiones tolleret. Aut si non tollit, nullius erit momenti, sed merum figmentum. Neque enim Deus injustus est, aut tyrannus, ut pro quibus satisfactum sit, iterum vindicet. Claves itaque vel experientiâ teste pœnas temporales nec tollere possunt nec imponere: sed hoc pro arbitrio DEUS secundum bonum consilium & providentiam suam præstat; impios quidem verè puniendo, suos autem filios paternè corripiendo & castigando.

Dd 3

CV. Et

CV. Et si licet Pontificis vice poenarum temporaliū alioquin peccatis debitārum opera sua poenalia injungere, quur non fures & latrones à supplicijs absolvunt, & dimissā culpā pro poenis orare, jejunare & eleemosynas dare jubent? Quur non morbos ipsamque adeo mortem abrogant? Quod si judicio & sententiā civilis Magistratus praejudicare nolunt, eamque pervertere aut revertere nec possunt nec debent; quam sibi quæso licentiam arrogant, potestatemque sumunt in mutandis & abrogandis judiciis Dei: quæ aliæ imperscrutabilia dicuntur, & viæ ejus impervestigabiles, Rom. xi, 33.

CVI. Considerentur hæc quæ scribit Bellarmi-
de Indulg. l. 2, c. I.
nus: *Si non potest Indulgentia tollere poenam, quâ Prætorali-
quem multatavit ob furtum vel homicidium, quantò minus tolle-
re poterit eam, quam Deus alicui decrevit? Quam igitur poenam,
inquier, tollit Indulgentia? Illam quæ in foro pœnitentiariori in-
fligitur. Egregiam Indulgentiam, quæ tollit orationem,
jejunia & eleemosynas!* Sed ad rem. Indulgentia non
tollit poenas divinitus immissas. E. nec satisfactio. Nam
Indulgentia tollit ipsam satisfactionem; Satisfactione au-
tem includit & presupponit reatum & poenas. Quodigi-
tur has non tollit, nec illam tollit. Quod has relinquit, &
illam relinquit. Deducitur itaque, Indulgentiam tollere
poenas, si tollat satisfactione: Aut ex hypothesi Bellarmini,
quum non tollat Indulgentia, nec satisfactionem eas tol-
lere. Adde quod Indulgentia non concedatur nisi à Pon-
tifice & Prælatis: Satisfactione autem à quolibet sacerdote
imponatur.

CVII. Quamquam itaque poneretur hæc hypothesis, post
dimissam scilicet culpam remanere poenas propriè dictas: nihil ta-
men ea patrocinaretur causâ Pontificia. Promtum enim foret
ostendere, has ipsas clavibus neutiquam subesse.

DISPU-